Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractio de incarnatione - Cod. Ettenheim-Münster 198

Mangillius, Antonius

[S.l.], 1632-1634

Conclusiones- De incarnatione

urn:nbn:de:bsz:31-117158

Visual Library

CONCLVSIONES
De Incarnatione.

1.

Deus nullam ex Christi meritis contraxit obligationem Justitiæ commutativæ ad dandam nobis gratiam, vel gloriam. Imo non potest ex Justitia rigorosa obligari creatura, quia alias esset capax alicuius imperfectionis, siquidem posset a Deo separari, et poni in creatura supremum, vel dominium alicuius rei.

2.

Ratio vero cur ex huiusmodi obligatione sequatur alicuius dominij separatio a Deo est, quia in instanti translationis cuiuscunq; iuris, et dominij idem ius, et dominium non potest esse in transferente, sed tantum in accipiente.

3.

Inde fit non posse vnum, et eundem esse simul Dominum, et servum alterius, quare licet Deus posset ex iustitia obligari, non tamen posset esse simul servus et dominus eiusdem creaturæ. Deus potest obligari ex promissione, et fidelitate, ita tamen vt ex diuina promissione nullum prorsus oriatur ius in creatura adversus Deum.

4.

Peccatum habet grauitatem infinitam, non simpliciter quidem et absolute, sed secundum quid. Purus homo non potest condigne satisfacere pro suo peccato mortali, licet commisso cum ignorantia, vel inadvertentia Dei inuincibili, neq; pro peccato originali, aut pro poena æterna suo, vel alieno peccato mortali debita. Potest tamen purus homo iustus condigne satisfacere pro peccato veniali.

Diuina

5.

Divina Verbi Incarnatio non fuit simpliciter necessaria ad salutem. Supposito tamen quod Deus decrevisset non assumere aliam naturam rationalem fuit simpliciter incarnatio divinae personae ad satisfaciendum pro peccato mortali, & poena aeterna ei debita: non vero ad condigne satisfaciendum pro nostris peccatis venialibus a peccato mortali separatis.

6.

Christi operationes in ratione valoris & meriti fuerunt infinitae simpliciter; & ideo illius satisfactio pro nostris peccatis oblata non modo fuit aequalis eorum malitiae & offensae divinae, sed etiam maior & superabundans.

7.

Christi satisfactio defecit a rigore Iustitiae, tum quia non fuit ab alterum, non quidem alteritate reali, sed moralis; tum quia fuit ex bonis alio titulo Deo debitis, aut sub eius dominio constitutis: tum denique quia fundata fuit in gratia Dei creditoris, & ab eo potuit non acceptari. Fuit tamen longe praestantior, quam sit satisfactio hominis oblata pro iniuria ipsi illata.

8.

Unio Verbi Incarnati facta est non in natura divina, sed in persona. Christus potest dici simpliciter compositus ex anima & corpore: similiter persona Christi potest simpliciter & absolute dici, composita. Natura humana Christi est unita Verbo per unionem superadditam, quae non est accidens sed modus substantialis superadditus. Est una simplex, extensa, & materialis, recepta in anima & in corpore Christi, & terminata ad personam Verbi.

9.

Sanguis Christi, & reliqui humores cum illo in venis permixti, fuerunt uniti Verbo immediate. Quod etiam probabiliter dici potest de unguibus, dentibus, & capillis. Nullum tamen accidens fuit, aut potuit esse immediate unitum Verbo.

Humanitas

10.

Humanitas Christi neq de congruo, neq de condigno vnionem hypostaticè primò a Deo præuisam meruit, vel potuit mereri per opera tempore aut natura priora ipsa vnione, neq per opera eandem consequentia. Sicut nec potuit mereri, vel de congruo, vel de condigno vnionem hypostaticam per alia etiam supernaturales independentes ab omni vnione hypostatica.

11.

Neq Sancti Patres, neq Beatissima Virgo, neq vlla pura creatura meruit, vel de congruo, aut potuit mereri incarnationem, etiamsi habuisset auxilia gratiæ a Christi meritis independentia.

12.

Assumere naturam creatam conuenit personæ Diuinæ: creatæ vero non potest conuenire. Plures diuinæ personæ possent assumere eandem naturam: impossibile tamen est, quod natura assumpta ab aliena persona retineat propriam subsistentiam. Partes humanitatis non fuerunt prius tempore assumptæ, quam vnitæ inter se. Ordine dignitatis prius fuit assumpta tota humanitas, quam partes, & prius anima, quam corpus. Ordine intentionis partes humanitatis prius assumptæ sunt, quam vnitæ inter se: & prius tota humanitas, quam partes. Ordine executionis prius corpus, & anima fuerunt vnita inter se, quam assumpta. Sinistra vero pars eodem ordine prius assumpta fuit quam altera.

13.

Habitualis gratia fuit in Christo, sed non infinita in ratione entitatis. In quo fuerunt etiam omnes virtutes non repugnantes dignitati Redemptoris. non fuit in illo fides nisi secundum habitum pia affectionis. Fuerunt tamen omnia dona Spiritus Sancti, atq adeo timor, vt dicit affectum reuerentiæ erga Deum. Sicut fuit & prophetia cum reliquis gratis gratis datis.

Christus

14.

Christus non meruit Angelis gloriam nec gratiam sanctificantem, ac proinde secundum humanitatem non est caput illorum per influxum Sanctitatis, sed per influxum illuminationis circa mysteria supernaturalia. Ita est caput hominū, vt inter prædestinatos sit primus dignitate prædestinationis, & fuerit causa prædestinationis illorum. Non tamen influxit in Adamum gratiam, quam habuit in statu innocentiæ.

15.

Ex vi decreti, quo venit, non venisset si Adam non peccasset. Humanitas Christi ratione vnionis hypostaticæ est physicè impeccabilis: ita vt, si ante illam fuisset in peccato, non posset in eo permanere posita vnione. Non tamen caruit libertate, ideoq, præscindendo etiam a facultate petendi dispensationem præcepti de morte subeunda, potuit mereri per obseruationem eiusdem præcepti, & reliquorum.